

benigne praeterea assecurantes Valachicam hanc nobis Charam Nationem, omnesque toties fati districtus Incolas, quod Vniversis et singulis Justitiam quacunquē ex Causa debite administrari, eosque tanquam fideles subditos, qui in ultimi cruenti Belli decursu prae caeteris generositatis suae aedidere specimina, protectione nostra Caesarea ac Regia plenarie frui atque gaudere faciemus, uti et illos, qui in linea limitanea constituti, adeoque militaribus Confiniorum servitijs actualiter applicati fuerint, a Decimis alijsque oneribus publicis immunes haberi ac caeteris quoque Privilegijs militaribus donari curabimus. Omnibus demum et Singulis praerecensitis hisce iterum pro Conclusionē serio injungentes, quatenus benignum Caesareum hocce ac Regium Mandatum nostrum ad evitandam severam alias animadversionem (erga secus facientes irremisibiler securam) firmiter observari debeant, nec populum ultra quocunquē sub praetextu commoveri, tumultuari, aut Jussis nostris Regijs reniti patiantur, ne fortioribus, quod plane abhoremus remedijs almae pacis conservationi subactorunquē nostrorum tranquillitati consulere necessitemur. Dabantur in Civitate nostra Viennensi die Decima quinta Mensis Jnnij. Anno Millesimo Septingentesimo Tertio. Regnorum nostrorum Romani Quadragesimo quinto, Hungarici Quadragesimo Nono, Bohemici vero quadragesimo septimo.

Leopoldus m. p.

M. a Mansfelt m. p.

(L. S.)

Ad Mandatum Sac. Caer. Majestatis proprium :

Joannes a Tiell m. p.

Ex ant. Copia in Archivo Regni Croatiae inter Acta Collegii S. J. Zagr. Fasc. 6. N. 46. asservato.